



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

XXIII. Das Franciscaner-Kloster in Stendal verpflichtet sich dem Rathe,
außer dem jetzt erworbenen Platze keine Hausstellen mehr zu erwerben,
am 26. Juni 1267.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

XXIII. Das Franziscaner-Kloster in Stendal verpflichtet sich dem Rathe, außer dem jetzt erworbenen Plage keine Hausstellen mehr zu erwerben, am 26. Juni 1267.

Univerſis tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis Frater Heinricus Gardianus Stendalensis cum Fratribus sibi commissis Salutem in eo, qui est Salus omnium Salvandorum. Quia Consules Civitatis Stendal pro nobis compatientes affectu clementer annuerunt, quod Partem Aree quondam Domini Ade pro indigentia nostra comparavimus, ob dicti beneficii gratitudinem presentis Scripti munimine protestamur, quod eisdem de cetero pro nullis Areis comparandis vel ampliandis per preces importunas inquietabimus. In ejus rei testimonium presentem litteram Sigilli nostri munimine communivimus. Testes hujus rei sunt: Frater Heinricus Gardianus, Frater Syfridus, Fr. Johannes de Magdeburg, Fr. Heinricus de Luchowe, Fr. Johannes de Croceke, Fr. Nicolaus, Fr. Bertramus, Fr. Heidenricus. Acta sunt hec Anno Domini MCCLXVII, In die Sanctorum Johannis et Pauli.

Beckmann's Beschreibung a. a. D. Sp. 91.

XXIV. Bischof Otto von Minden sichert den Wohlthätern des heil. Geist-Hospitals zu Stendal für die Bauzeit der Capelle desselben einen Ablass zu, am 5. September 1268.

Frater Otto, divina permissione Mindensis Episcopus, Omnibus hoc scriptum visuris in salutis auctore salutem. Loca sanctorum pia et prompta deuotione sunt a christi fidelibus ueneranda, ut dum dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles deo reddant et illorum nobis uendicantes quodammodo patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non optinent, eorum mereamur intercessionibus optinere. Cupientes ergo ut Ecclesia domus Sancti Spiritus in Stendal, sicut laudabiliter inchoata est, sic perficiatur honeste atque perfecta congruis honoribus frequentetur, omnibus, qui in die dedicationis et anniuersario dedicationis eiusdem Ecclesiam iam dicte domus cum reuerentia uisitauerint et de bonis a deo sibi collatis eidem grata caritatis subsidia ministrauerint, uere penitentibus et confessis, de omnipotentis dei misericordia confisi, dyocesani Episcopi accedente consensu, Quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia relaxamus, Istis post consummationem operis minime ualituris. Datum Minde, Anno domini M^o. CC^o. LX^o. VIII^o. Nonis Septembris.

Nach dem Originale des Stendalschen Rathesarchives No. 10.